

tatur, petendam esse ex malitia peccatoris, qui non vult poenitentiam agere, nam ceteris omissis, quo spectat illud additum *bonis* in iis verbis *reliqua bonis poenitentibus*, nisi ut significetur, ideo aliis non dimitti peccatum, quia non sunt boni poenitentes?

Athanasius epist. 4. ad Serapionem late pertractans hunc locum a n. 9. deinceps, refert primum priscos viros Origenem et Theognostum censuisse blasphemiam in Spiritum S. esse peccatum admissum post baptismum. Reprobat ipse hanc interpretationem. Censet vero blasphemiam in Spiritum S. esse peccatum quo non ex ignorantia sed ex malitia divinitas Christi negatur (cf. n. 20): hoc peccatum esse dicit quod non remittitur, verum a quo non remittitur? haud negat tantum Athanasius remitti illud ab Ecclesia, sed simpliciter remitti a Deo negat. Cur vero? « merito quidem, ait, qui enim negat Filium, quem rogans obtinere poterit propitiationem? aut quae vita vel requies ei expectanda, qui repulit eum qui dicit: Ego sum vita? (23) » Quod perinde est ac dicere: qui non vult in Christum credere, quamdiu talis est, salvari nequit. Nam perseverantiam in infidelitate aperte docet intelligendam esse auctor operis quod inter dubia s. Athanasii collocatum est a Maurinis, cuius titulus est: *Testimonia ex S. Scriptura de naturali communione similis essentiae inter Patrem, Filium et Spiritum S.* hic enim auctor eadem Athanasii interpretatione adhibita advertit « observandum esse, non dixisse Christum: Blasphemanti et poenitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti idest in blasphemia perseveranti ».

Ambrosius pariter De Poenit. L. II, c. 4. argumento novatiano deprompto ex iis verbis Christi respondet primo « hoc exemplo omnis assertio vestra destruitur et absolvitur: scriptum est enim: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: cur igitur non remittitis? cur ligatis vincula, quae non solvitis, cur nodos nectitis, quos non relaxatis? » Tum perpendens quinam sint, qui peccantes in Spiritum S. Evangelica auctoritate in perpetuum adstringuntur, advertit eos esse, qui Satanae comparant Dominum, atque eos etiam qui separant Ecclesiam Dei, ut haeretici et schismatici; non vero esse omnes, qui in Spiritum Sanctum blasphemant, cum Simoni, qui comparare volebat pecunia gratiam Christi, dixerit Petrus: poenitentiam age ab hac nequitia tua, et precare Dominum si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. Iam vero ratio cur ii priores ad veniam non pertineant, non esse defectum potestatis in Ecclesia, sed malitiam voluntatis, quae, reiecta fide, quousque in eo statu manet, nec poenitentiam agere nec veniam promereri potest, manifestum fit ex iis quae subiicit. Cum enim inter eos, qui ad veniam non pertinent, connumeraverit tum pharisaeos, qui opera Christi

tribuebant diabolo, tum haereticos ac schismaticos, subdit: « Et ideo revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est: omnis qui-cumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Denique etiam iudaeorum populus, qui dicebat Domino Iesu: daemonium habet, in Beelzebub eiicit Daemonia, qui crucifixit Dominum Iesum, Petri praedicatione vocatur ad baptismum, ut sceleris tanti merita deponat ».

Inter opera olim Hieronymo et Ambrosio adscripta ex abat opus inscriptum quidem penes Ambrosium *De lapsu virginis consecratae*, penes Hieronymum vero *in Susannam lapsam obiurgatio*; quod probabilius (fatente quoque Vallarsio editore operum Hieronymi Tom. XI, col. 179, et probante P. Braida in Dissertatione in s. Nicetam c. 8.) debetur s. Nicetae Episcopo Aquileiensi, qui floruit tempore Leonis Magni. Porro in hoc opere, quod est concio quaedam, ita auctor lapsam virginem ad poenitentiam hortatur: « inhaere poenitentiae usque ad extremum vitae, nec tibi praesumas ab humano die posse veniam dari, quia decipit te qui hoc polliceri voluerit. Quae enim proprie in Dominum peccasti, ab illo solo te convenit in die iudicii exspectare remedium ». Verum vel haec per exaggerationem dicta sunt ut dies iudicii positus sit pro termino vitae, ad quem ille immediate consequitur, et in quo termino absolutio tandem pro certis criminibus identidem dabatur: vel venia, de qua hic sermo est, est venia ab universa poena debita peccato, cuius remissio, quam nunc plenariam indulgentiam appellamus, dabatur poenitentia functis, cuius remissionem pro peccato a Virgine admissio negat Nicetas ab eadem obtineri posse quamdiu vivit, sed perenniter vult esse expiandum.

Hilarius quoque in Matth. c. 12. expendens verba Christi ait: « Pharisaeorum sententiam, et eorum, qui ita cum iis sentiunt, perversitatem severissima definitione condemnat, peccatorum omnium veniam promittens, et blasphemiae Spiritus indulgentiam abnegans. Nam cum cetera dicta gestaue liberali venia relaxentur, caret misericordia, si Deus negetur in Christo. Omnino peccata cuiusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum S. non remittendam. Quid enim tam extra veniam est quam in Christo negare quod Deus sit? » Iam vero ratio haec allata ab Hilario eo sensu accipi potest quo ratio quae affertur ab Athanasio mox citato. Nimirum abiecta fide in Christum Deum, amittitur medium, quo quis duci potest ad reconciliationem, et ea infidelitate manente (quae ceteroqui difficile exiit, cum contra manifestam veritatem est impie suscepta) venia obtineri nequit.

Ita s. Leo Serm. 1^o in Pentecosten monet haeresim contra divi
PALMIERI. Tractatus de Poenitentia. 5

nitatem Spiritus S. esse « eam blasphemiam, quae neque in praesenti seculo, neque in futuro sit remittenda iudicio, dicente Domino: quicumque dixerit verbum etc. ». Sed statim explicat quomodo id sit accipiendum. « Permanens itaque in hac impietate, sine venia est, quia exclusit eum a se, per quem poterat confiteri, nec unquam perveniet ad indulgentiae remedium, qui patrocinatorum sibi non habet advocatum ». Idem docet Serm. 2^o.

Chrysostomus (in hom. XXXI, n. 2. in epist. ad Hebr. ad c. XII, v. 17) ait: « Non invenit (Esau) locum poenitentiae. Quamobrem? quoniam non quomodo oportuit, egit poenitentiam. Hoc est enim poenitentia (agere eam scilicet ut oportet): non egit poenitentiam ut oportuit. Alioquin quomodo haec diceret?... Non invenit, inquit, poenitentiae locum, non invenit poenitentiam. An quod peccavit maiora, quam ut eorum agi possit poenitentia? an quod dignam poenitentiam non fecerit? Sunt ergo peccata aliqua maiora quam ut eorum agi possit poenitentia. Hoc est ergo quod dicit: non cadamus casu incurabili. Donec fuerit solum claudicatio, facile est rectum fieri: sin autem fuerimus penitus aversi, quid de cetero restabit? » Liquet heic non de potestate remittendi peccata sermonem esse, sed de poenitentia agenda a peccatore, quae est conditio necessaria pro exercitio illius, neque esse specialem sermonem de potestate Ecclesiae. Impossibilitas vero poenitentiae, quae heic, dubitantis potius in modum, asseritur, nequit esse nisi moralis, seu magna difficultas, quam profecto in non paucis experientia testatur. Idem in Matth. hom. 41. in hunc locum, ait quod Spiritus blasphemia non remittetur οὐδέ μετανοοῦσιν ne poenitentibus quidem ». Haec per exaggerationem oratorio iure censemus dicta, eo quod non supponatur futura conveniens poenitentia. Ceterum heic quoque Chrysost. non de remissione, quae ab Ecclesia dari possit, sed de ea, quam Deus dat, loquitur, cuius potestas et voluntas remittendi quaelibet peccata poenitentibus certa ipsi erat.

In eundem sensum redit quod ex Cypriano obiicitur, qui in L. III. Testimoniorum, numero 28.^o hunc titulum posuit. « Non posse in Ecclesia remitti ei, qui in Deum deliquerit ». Relatis enim in eo numero testimoniis his ex Matthaeo et Marco, in quibus de blasphemia in Spiritum Sanctum sermo est, subdit immediate: « *De hoc ipso* in Basileion primo: si delinquendo peccet vir adversus virum, orabunt pro eo Dominum; si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo? » His autem verbis ex 1^o Regum non significatur nisi peccatum, cuius venia difficiliter impetratur. Cum ergo de eodem peccato sit sermo etiam in verbis Christi, dicendum est Cyprianum per verba *non posse* solum quamdam impossibilitatem moralem seu

difficultatem voluisse significare. Ceterum nonne ipse Cyprianus peccatum idololatriae poenitentibus remittebat, et remittendum esse docebat? an non est hoc peccatum in Deum? Cf. Fulgentium De Remiss. peccator. c. 24. et Auctorem de vera et falsa poenitentia n. 9.

Alterum testimonium, ad quod provocabant Novatiani est 1. Ioan. V, 16. *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Iam vero ut ex testimonio per se quidem satis difficili interpretatio probabilis eliciatur, advertimus 1) Apostolum non prohibere ne quis oret, sed tantum non praecipere, non hortari. 2) Peccatum ad mortem esse peccatum quod manifestum fidelibus esse potest; supponit enim Apostolus fideles scire fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, et peccatum ad mortem. 3) Peccatum huiusmodi videri esse peccatum quod in hac vita ante mortem committitur; est enim peccatum de quo dubitari poterat an quis fidelis admonitus ut pro peccantibus oraret, vellet et pro peccante illud orare; at fideles satis noverant orandum non esse pro iis qui in peccato (gravi, inquam, quale cogitandum est hoc de quo Apostolus loquitur) decedunt. 4) Peccatum esse gravitate excellens. 5) Sicut quaedam infirmitas datur, quae non est seu non ducit ad mortem, et alia per se ducit ad mortem, haec autem est, qua quaedam organa vitalia corrumpuntur; ita peccatum *ducens* ad mortem *sempiternam* illud appellari posse quod propter corruptionem principii vitalis ex se irreparabiliter ducit in interitum sempiternum. Quamvis enim omne peccatum mortale ducat in mortem sempiternam, et ex parte hominis solius irreparabiliter; quia tamen hic distinguitur peccatum in peccatum non ad mortem, et peccatum ad mortem, et illud non est solum peccatum veniale, est enim peccatum, a quo qui liberatur, restituitur ad vitam, ideo dicendum est per peccatum ad mortem aliquid specialius significari, h. e. peccatum quod speciali quadam ratione ex natura sua ducat in mortem sempiternam. 6) Peccatum, quo principium vitale salutis irreparabiliter ex se corrumpitur, esse apostasiam a fide, ab Ecclesia, esse peccatum quo quis sponte ab Ecclesia recedit, vel propter quod auctoritate Ecclesiae ab eius communione separatur sive excommunicatur. Usus autem excommunicationis iam tum fuisse, rei inquam, non nominis, constat a priori ex ipsa indole societatis Ecclesiae, eiusque auctoritate, atque ex usu iam dudum vigente in Synagoga, tum a posteriori ex sententia Pauli in incestuosum corinthium.

Porro his statutis duplex potest esse ratio cur Apostolus dicat se non dicere ut quis oret pro peccante ad mortem. Altera tradita ab Ambrosio (infra cit.), quia non est cuiusque iusti impetrare huius-

modi peccatorum conversionem, nec Deus adeo facile exaudit preces pro iis factas; cum igitur Apostolus verbis his praemisit quod Deus audit nos quidquid petierimus, et veluti in exemplum aut confirmationem huius rei subiecerit quod si quis oraverit pro fratre peccante, obtinebit eius vitam; quia vero vitam peccantium ad mortem non quicumque iustus obtinere potest, temperavit sermonem suum hac limitatione, nempe, ita tamen ut pro huiusmodi peccatoribus non dicat Apostolus quod quilibet debeat orare. Altera ratio: nimirum cum pro apostatis et ab Ecclesia eiectis sive excommunicatis publice saltem orandum non sit, idque iam tum nossent fideles, Apostolus monet quod cum dicit ut oretur pro peccante, ipse non intendit hortari ut pro iis peccatoribus oretur, quamvis ne id privatim fiat non prohibeat.

Patet ex dictis haec de potestate remittendi peccata, vel de aliquo peccato irremissibili nullum esse sermonem, et idcirco ad quaestionem praesentem testimonium hoc nulla ratione spectare.

Quid autem Patres? Basilius quidem in Isaiae c. IV, intelligit quodlibet fidelium peccatum, quod in infernum deducit; nulla est tamen huius testimonii interpretatio communis Patrum: plures Patrum interpretationes vide penes Cornelium a Lapide in hunc locum. Bene tamen convenit inter eos Patres, qui contra Novatianos disputarunt, hoc in loco non agi de aliquo irremissibili peccato. Unde Ambrosius de Poenitentia L. I, c. 9. obiicientibus Novatianis testimonium ex 1. Regum II, *si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* et testimonium illud Ioannis, respondet: « Non scriptum est, nullus orabit pro eo, sed, quis orabit pro eo? Hoc est quis ille est, qui in tali causa orare possit, quaeritur, non excluditur... Singularis vitae aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum, quia quo maior culpa, eo maiora quaerenda sunt suffragia. Non enim quicumque de vulgo pro Iudaeorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput fidei immemores adoraverunt. Numquid erravit Moyses? » Et ad testimonium Ioannis accedens c. X. « Est peccatum ad mortem, non dico pro illo ut roget quis. Ast enim non ad Moysen et Ieremiam loquebatur, sed ad populum... cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur: graviorem vero veniam iustorum orationibus reservandam putet. Nam quomodo Ioannes diceret non orandum pro delicto graviore, qui legisset Moysen rogasse et impetrasse, ubi erat praevaricatio voluntaria, qui sciret etiam Ieremiam rogasse etc. » Pacianus vero respondet epist. III. ad Sympronianum, verba Ioannis « ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint et caeperint poenitere antequam quisquam pro illis roget ».

Augustinus (Lib. I. De Sermone Domini in monte c. 22) ait: « peccatum fratris ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam D. N. I. C. quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitur ». Subdit paulo post: « et hoc est fortasse peccare in Spiritum S. idest per malitiam et invidiam, fraternam oppugnare caritatem post acceptam gratiam Spiritus S., quod peccatum Dominus neque hic neque in futuro seculo dimitti dicit ». Adverte haec ante scripta esse ab Augustino, cum adhuc esset presbyter, quam Expositionem illam inchoatam quam quidem scripsit adhuc presbyter, ac sermonem LXXI recitatum ad populum ab Augustino iam episcopo. Tum perpende verba eiusdem in 1. Retract. c. 49. in quo ille liber super sermonem Domini retractatur. Ait enim: « peccatum fratris ad mortem ita definiti » sequuntur verba iam recitata. Subdit: « quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi; sed tamen addendum fuit: si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur ». Ex his porro liquet sollicitos potissimum in huiusmodi testimonii interpretatione fuisse Patres ne quis arbitraretur aliquid esse in hac vita irremissibile peccatum, si poenitentia agatur.

Tertio provocabant Novatiani ad Heb. VI, 4. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus S. gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque seculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* (παράδειγματιζοντες).

Respondeo. Duplex est interpretatio. Sunt qui *renovari ad poenitentiam* accipiant de poenitentia post baptismum, et idcirco *το impossibile* interpretantur *difficile*; aiuntque Apostolum docere difficile esse quod prolapsi (at cur id difficile?) resipiscant. Alia est et pluribus probata interpretatio ac summorum Patrum confirmata suffragio, quod poenitentia, de qua loquitur Apostolus, sit poenitentia baptismalis; ἀνακαινίζειν enim (ἀνακαινίσειθαι legit Chrysostomus, item Syriaca versio et vulgatus: sententia est eadem) proprie de baptizatis dicitur, « qui iam baptizati sunt curari melius dicimus per poenitentiam, non renovari; quia renovatio in baptisate est »: inquit August. (Expos. inchoat. epist. ad Rom. n. 49).

Silicet ab initio capitis dicit Apostolus se omittere sermonem de rudimentis fidei, iis nempe doctrinae capitibus, quibus imbuti catechumeni disponebantur ad baptismum, h. e. iacebant, ut Apostolus ait, fundamenta poenitentiae ab operibus mortuis, quae doctrinae

capita versu 1^o et 2^o enumerat; negat nimirum Apostolus se velle adhuc eos instituere circa illa, quae fundamenta sunt poenitentiae ab operibus mortuis, quaeque ad renovationem per baptismum disponunt. Rationem reddit cur eam institutionem non repetat: quia nempe impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, h. e. baptizati (baptismo enim, qui et φωτισμος dicitur, illuminamur), qui gustaverunt donum caeleste, quod baptizati percipiebant per ss. Eucharistiam, qui participes facti sunt Spiritus S. qui per confirmationem eis dabatur, et prolapsi sunt, eos renovari ad poenitentiam, h. e. ad poenitentiam baptismalem accedentes rursus fieri novos (nisi cum Chrysostomo interpreteris: *per poenitentiam*). « Nam revera qui semel renovati ceciderunt, renovari amplius non possunt: neque enim nascetur amplius Christus, ut pro nobis in crucem agatur... Neque alteram quis usurpare lotionem potest, quod unus baptismus sit, unaque renovatio »: ait Epiphanius haer. LIX. « Quod in epistola ad Hebr. VI, 4. dictum est, non excludit a poenitentia peccatores sed ostendit unicum non duplicem esse Ecclesiae Catholicae baptismum » inquit Athanasius epist. 4. ad Serapionem, n. 13. Quae sequuntur verba: *rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes ανασταυρουοντας εαυτοις τον υιον του Θεου, και παραδειγματιζοντας*, rationem continent cur sit impossibile reiterari baptismum. Crucifigere sibi ipsi filium Dei est in se ipso mortem Christi crucifixi repraesentare; in morte enim Christi baptizati sumus Rom. VI, 3: pariter Christum sibi παραδειγματιζειν est in se ipso opprobria et ludibria Christi repraesentare. Cum ergo semel Christus sit mortuus, semel baptismus suscipi potest. Christo scilicet in baptismo configuramur « dum similitudinem mortis eius assumimus, qui principatus et potestates in sua cruce ostentavit, ac triumphavit (Coloss. II, 15), ut in mortis eius similitudine nos quoque de principatibus, quorum iugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel mortuus, et ideo unum non plura baptismata »: inquit Ambrosius De Poenit. L. II, c. 2. Quocirca Athanasius l. c. advertit quod Apostolus « Hebraeis haec scripsit, et ne illi προφασει μετανοιας praetextu poenitentiae (seu spe per poenitentiam adipiscendae renovationis) iuxta legis consuetudinem existimarent multa esse et quotidie baptismata, ideo eos ad poenitentiam hortatur, unamque esse per baptismata renovationem dicit nec secundam superesse... Neque enim ait: *impossibile est poenitere, sed: impossibile est obtentu poenitentiae (προφασει μετανοιας) nos renovare*. Est enim inter haec dicta discrimen. Is enim qui poenitet, cessat quidem a peccato, retinet tamen vulnere cicatrices: qui au-

tem baptizatur, veterem exiit hominem et renovatur superne genitus Spiritus gratia ».

Ita Chrysostomus (hom. IX. in epist. ad Hebr. in h. l. n. 3. et 4.) « Non est ergo non est secundum lavacrum... Quid ergo, inquit, non est poenitentia? est poenitentia quidem, at vero non est secundum baptismum ». Sub initium n. 3. verba Apostoli ita enarrat: « *ανακαθαρσει, φησι, εις μετανοιαν, τουτεστι δια μετανοιαν*. Quid ergo, subdit, eiecta est poenitentia? Non poenitentia, absit, sed quae rursus fit per lavacrum renovatio... Sicut ergo fieri non potest ut iterum crucifigatur Christus, hoc est enim eum traducere, sic non possumus iterum baptizari ». Eandem adhibet interpretationem auctor libri de vera et falsa poenitentia n. 7. Cf. et Damascenum De Fide L. IV, c. 10. qui ex verbis Apostoli demonstrat non esse repetendum baptismum: quia « qui baptismum repetunt, ii Christum rursus, ut est apud Apostolum, in crucem agunt ».

Patribus graecis, ut ex citatis eius verbis patet, consentit Ambrosius ibid. « De baptismo dictum verba ipsa declarant, quibus significavit impossibile esse, lapsos renovari in poenitentiam: per baptismum enim renovamur ». Et paulo post: « De Baptismo dictum, ne quis iteraret, vera ratio persuadet ».

Producuntur quoque verba Pauli in eadem Epist. X, 26: *voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quaedam expectatio iudicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios*. Quidam haec interpretantur sicut prius testimonium. Scilicet hostia est passio et mors Christi, cuius figura est baptismus. « Secundum aufert lavacrum (inquit Chrysostomus hom. XX in Epist. ad hebr.); non enim dixit: non est amplius poenitentia, non est amplius remissio; sed non est amplius hostia, h. e. non est amplius crux secunda. Hoc enim vocat hostiam sive sacrificium illud esse de quo in ea epistola Apostolus loquitur, quod est holocaustum Dominicae passionis, quod eo tempore offert quisque pro peccatis suis, quo eiusdem passionis fide dedicatur, et christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur, ut hoc significaverit Apostolus, non posse deinceps eum, qui peccaverit, iterum baptizando purgari ». Verum cum pluribus aliis interpretibus advertere licet hoc in loco *voluntarie peccantes* esse eos qui *collectionem nostram*, seu coetum fidelium deserunt (v. 25), qui filium Dei conculcant, et sanguinem testamenti pollutum ducunt (29): hi porro sunt apostatae a fide. De his autem vere dicitur quod, utique in sua apostasia manentes, carent hostia pro peccatis, sicut vere dicitur quod ii, qui sua culpa sunt extra Ecclesiam, sunt extra viam salutis. Id autem monet Paulus ut fideles

hebraeos deterreat ab apostasia, in eo enim statu nulla hostia eis relinquatur, qua purgentur eorum peccata. Vel (forte melius) hostia, quae reliqua non est peccantibus, est alia hostia par illi, quae immolata fuit in cruce, quae profecto, secus ac hostiae T. V. unica fuit, unaque sui oblatione consummavit in aeternum sanctificatos. Haec scilicet dicuntur ab Apostolo ad commendandam excellentiam sacrificii crucis.

VI. Demonstrata est ergo thesis. An certum assensum in doctrinam hactenus propugnata prohibebit quaedam haud infrequens, quemadmodum adversarii nostri loquuntur, inter veteres scholasticos doctrina, qui, si illos audimus, vim sacramentalis absolutionis ita minuerunt ut ea non nisi iam contritis et iustificatis a Deo possit rite conferri; quo posito potestas quidem remittendi peccata nulla est? Verum de hac doctrina veterum theologorum disputationem reiiciendam censemus eo, ubi de contritione quaestio instituetur. Nunc tantum haec monuisse satis sit. 1° Ex pluribus, qui citantur, Scholasticis (e. g. a Launoio Oper. Tom. I. De mente Concilii Trid. circa contritionem et attrit. in ss. Poenitentiae c. 8.) non paucos perperam prorsus citari. 2° Si qui scholastici dissident a certa doctrina confirmata auctoritate manifesta Scripturarum, ecclesiasticae traditionis ac perpetuae praedicationis et praxis Ecclesiae, ii audiendi non sunt: porro certum est semper creditum esse in Ecclesia quod Poenitentia sit unum ex septem Sacramentis, cuius potissima pars est absolutio a peccatis, et quod sit institutum pro remissione peccatorum, quod et testantur theologi qui contra nos citantur, licet deinde remissionem peccati interpretantes dicant esse vel remissionem poenae, vel authenticam declarationem remissionis culpae: qua in re, si id voluerunt dicere quod verba sonant, id tantum probant quod iam ab aliis observatum est, veteres aliquos Scholasticos in re sacramentaria non admodum profecisse. Ceterum 3° regula illa, quam quidam ex veteribus dicunt generalem theologorum, quaeque a s. Bonaventura in 4.^m D. 18. a. 2. q. 1. sic refertur: « nunquam sacerdos absolveret quemquam, de quo non praesumeret quod esset absolutus a Deo » commode ita accipi potest, neminem scilicet absolveret sacerdos, quem non praesumeret a Deo excitatum et rite dispositum ope gratiae interioris ad remissionem consequendam. Ii vero theologi qui ad historiam resurrectionis Lazari et munus sacerdotum V. L. in causa leprae provocant exemplo Patrum, illud praecipue potissimum habent, ut et principalem causalitatem Deo vindicent in remissione peccati, doceantque oportere iam vivere, fide nempe, spe, dolore etc. eum, qui absolvendus est a peccato. Qua de re confer quae dicemus in Th. XII.

Probatum est Christo auctore factam esse Ecclesiae potestatem remittendi quaecumque sint peccata. Porro potestas haec est propria Dei. Ipse enim solus potest condonare offensas sibi illatas, cum sit summus Dominus, ipse solus potest gratiam conferre, et ad amicitiam suam iusque filiationis restituere praevaricatores. Isaiae XLIII, 25. Ego sum, ego sum, ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Rom. III, 24. iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu. Talis ergo potestas Ecclesiae competere nequit nisi delegata a Deo, ut Ecclesia eiusque Pastores tanquam causae ministeriales et instrumentales eam exercent. Hinc ea potestas est exercenda ab Ecclesia iuxta eas leges et condiciones, quas auctor princeps et delegans praescripserit.

THESIS IX.

Universalis Ecclesiae praxis antiqua fuit exercitium potestatis remittendi fidelibus peccata coram Deo, nullo delinquentium vel criminum genere excluso, sive publico sive occulto.

I. Oportet ut doctrinam demonstratam in praeced. Thesi historicis quoque argumentis illustremus, quo fiet praeterea ut traditionem catholicam a nonnullis difficultatibus expediamus. Quia vero in hac thesi frequenter occurret sermo de poenitentia publica, ut quae dictari sumus intelligantur, quandam nunc notitiam eius adumbrare oportet. Itaque distinguendum est inter *poenitentiam canonicam*, *poenitentiam publicam*, *poenitentiam sollemnem*; quae quamvis *materialiter* in idem subinde convenirent, *formaliter* tamen differebant. *Poenitentia canonica* ea erat, quam praescribebant certi Canones editi sive in Conciliis, sive ab Episcopis, qui Canones non pro quovis delicto, sed pro gravioribus poenitentiam peragendam statuebant. Distingue porro poenitentiam a poena, haec est ordinata ad punitionem, illa ad emendationem et absolutionem obtinendam, haec manet emendatione etiam secuta, illa non: porro quidam canones erant qui poenam, alii qui poenitentiam determinarent: ii poenales, hi poenitentiales proprie dicuntur. Poenitentia autem iniuncta per Canones non erat omnis et semper publica, sed etiam secreta: unde poenitentia canonica non idem est ac poenitentia publica. Poenitentia publica ea erat, quae coram plebe et Episcopo eiusque clero in Ecclesia agebatur. Haec autem duplex distingui debet, nimirum publica tantum, et publica sollemnis. Ea erat quae tota aut publica accusatione delicti, aut publica aliqua humiliatione, aut utraque simul, vel